

unt; hujus enim *Commentaria* longe aliter incipiunt et finiunt, ut conferenti patebit. Non ille *Odo Rigaldus*, seu *Reginaldus* ex *Ord. Min.* factus *Rothomag.* Archiepiscopus, de quo *Oudinus* T. III. col. 449. non enim reperi in Codice L. III. *Dist.* 3. locum illum contra Conceptum Virginis sine macula, quem e suo *Rigaldo* ille profert. Adoptandus igitur erit *Raymundus Rigaldus* O. M. cujus *Commentaria mss.* extare testatur *Waddingus* in Bibliotheca *Conventus Assisi* hoc initio: *Quaeritur, utrum plures sint veritates ab aeterno* &c. Id quod definire Codicis nostri ἀνεφάλα vetat.

DXXV.

R. 495 ille Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 241. f. per duas columnas nitide, multis tamen vocum compendiis perscriptus, et coloribus illustratus caret principio, sed in calce legitur longo illo *Diplomatum* caractere: *Explicit liber quartus Summe magistri wilhelmi de azbornen.* Fateor inauditum mihi hunc Autorem vasti Operis, a quo citari video magistrum *Gisilbertum*, certe non alium, quam *Porretanum*; agitur enim de *Boethii* L. de *S. Trinitate*, in quem extant hujus *Gisilberti* seu *Gilberti* *Commentaria*. Is porro Sec. XII. scripsit, unde posterior est *Wilhelmus* noster, in cujus Cognomine corrupendo fortasse nos ludificatus est *Librarius*. Quidquid sit, L. I. hujus *Summae* agitur de Deo et Di-

vinis, L. II. de Lapsu Angelorum et Peccatis, L. III. de Christo et Virtutibus, L. IV. de Sacramentis, cumque initium L. I. et primum L. II. folium avulsa sint; dabo saltem L. III. initium: *Incipit liber tertius. et primo quaere potius filius fuerit incarnatus quam pater vel spiritus s. Dicto de peccatis quibus homo lapsus est in perditionem dicendum est de reparatore s. de filio dei. hoc ordine procedemus. De incarnatione primo. Secundo de predestinatione christi. tertio utrum christus fuit decimatus in lumbis abrahe &c.* L. IV. extrema sunt: *que preparauerit deus his qui diligunt eum. Illa gaudia nobis prestare dignetur ihesus christus dominus noster, qui cum patre* &c. Omnibus Libris adest *Elenchus Capitulorum*.

DXXVI.

U. 520
Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 239. 4. commode perscriptus, et rubricis enotatus, sed initio mutilatus hanc praefert fol. 89. clausulam: *Anno Domini 800. (14) 33°. Lectura textualis Reuerendi magistri Hainrici de oytta primi sententiarum.* Evocatus fuit Vir hic *Parisis* ad auspicandas Lectiones theologicas *Viennam* ab *Alberto* Duce a. 1379. una cum *Henrico de Hassia*, ut pluribus docetur in *Scriptt. Univ. Vien. P. I. Sec. 1. p. 58.* annumque vitae supremum habuit 1397. Natione *Frisus* fuit, celebratus *Tribemio* n. 687. qui praeter alia in omnes IV. *Sententiar. Libros* scripsisse affir-